

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrvm Misericordiæ Palativm

Variis Sacræ-Scriptvræ Locis, Atqve Septem misericordiæ operibus quasi
peristromatibus exornatum

Gazaeus, Nicolaus


Augustae Trevirorum, 1618

Contra Eos Qvi Improbos, Maxime Vero Hæreticos Inhvmant in locis sacris.
Capvt LXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54459](#)

332 MORTVOS SEPELIRE

tum ordo, tædarum affluentia, tapetum di-
spositio, & conuiuorum apparatus cum
summa curiositate requiruntur. Sepultura
pompa (inquit Aug.) magis est viuorum sol-
tium, quam mortuorum refrigerium.



*Lib. de cura
pro mort.*

CONTRA EOS QVI
IMPROBOS, MAXIME VERO
HÆRETICOS INHVMANT
in locis sacris.

CAPVT LXIII.

Scribendum denuo nobis contra eos
qui hæreticos & notorios peruersos la-
cræ mandant sepulturæ, nec admoniti eos
extrahere volunt, quæ actio pertinax con-
tra ius Ecclesiasticum & naturale directe &
è diametro concertat, vt ex sequentibus
clarebit.

Si antiquitus (vt verum est) Ecclesiasti-
corum & laicorum corpora diuersis in locis
sepeliebantur; quid n̄ modo reproborum
& fidelium Catholicorum sepulturæ di-
uersificantur? Inhibitum item erat Cathe-
cumenis exequijs fidelium interesse, potiori
igitur

igitur ratione, infidelium cum fidelibus ar-
cebitur communicatio sepulturæ.

Quid ni Hæreticos è nostris euellamus
cemiterijs, siquidem ipsi Catholicorum ita
aduersantur ossibus & reliquijs? Num Re-
gum & Principum pepercere sepulchris?
Nunquid cadauera Sanctorum, tradiderūt
bestijs terræ & volucribus cœli? Nunquid
summis, indulseré Pontificibus? tantum
abest, quin potius rabie sœuiori in eorum
osla grastati sunt, illa aquis, hæc vento, ista
rogo injicientes. Nostris ergo pariter pri-
uentur sepulchris. Nam sacra id nos docet
scriptura Nunquid Rex Iosias Prophetæ 3. Reg. 13.
falsi cadauer extractum altari Idololatra-
tum imponens illud combussit & altare
subuertit? Ex quibus rectè concludit Eu-
thyminus Hæreticos pariter (Niceph. 7. hist.
27 si sepulti sint) 4. dialog. c. 52.
extrahendos, & sepultura sancta esse pri-
uandos.

D. Gregorius plurimorum meminit Ca-
tholicorum peruersorum quos exhumari
oportuit, ob horrendas quas emittebant
voces, quibus se ob Ecclesiasticæ sepulturæ
participationem amplius torqueri fateban-
tur, diuina eos indignos iudicante Iustitia.
Quod si id pro vitijs moralibus indicare
voluit altissimus, quanto seuerius id pro
hære-

334 MORTVOS SEPELIRE

hæresi & infidelitate quæ omnium malorum caput est obseruari oportet? Gregorius Nazian: dicit terram ob Iniquitates & flagitia Iuliani apostatæ trementem, eum ut indignum expulisse, vt volucribus & feris præda fieret.

Natura ipsa, nostras tuetur partes. Dicit siquidem quod res aliqua, quæ introitu inhibito alteri sese immiscet rei, statim repulsam patitur & inde violenter expellitur. Quid ni ergo si Catholicis Hæretici sepultura violenter & iniuste commiscentur, inde iuste euellantur? Ipsi hanc æquitatem nos docebunt pagani. Olympias Alexandri mater, Iolain exhumari curauit, indignum eum sepultura rata, quem proditorem, & filij sui suspicatum intexicatorem cognoscebat.

*Sans. hist. de
Turc. 3. p. 1. 3.* Turcæ cum rescissent Persam illorum inhumatum cemiterio, eum protinus extraxerunt, & alio loco sepelierunt. Infinita sunt quæ in medium proferre possem exempla, quæ ideo prætereo, quia à summis Pontificibus & Concilijs decretum est, vt si quis hæreticus Catholicorum cemiterio fuerit conditus, statim extrahatur & expellatur. Rationes connectamus.

QVA-